



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Quantitas, & qualitas propositionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

CAPVT II.

Quantitas, & qualitas propositionis.

7 **Q**uantitas propositionis est, quæ eam ad plura porrigit obiecta, vel ad pauca restringit; sicut quantitas molis est, qua corpus ad plura, vel pauciora loci spatia extenditur. Quod duplex est: vniuersalis, quando subiectum signo vniuersali afficitur vt omnis homo currit; aut particulari, cū signo particulari, vt aliquis homo currit; vel indefinita, cū terminus cōmunis manet omnis expers signi; vt homo currit; vel singularis, cum subiectum singulare est, vt Petrus currit. Quantitas propositionis pendet à subiecto, atque ab eo est desumenda, sicut quantitas molis à materia, quippè à cuius magnitudine, aut paruitate corpus substantiale completum dicitur magnum, aut paruum, siue forma magna, siue parua, imo partium omnium expers, sit, vt cernere est in homine valdè procero, vel etiam in elephante, si fortè animalium perfectorum animæ sunt indiuisibiles, ac planè nullius molis, vt arbitrantur communiter Thomistæ, & præter eos alij nonnulli. Quapropter hæc propositio, omnis persona diuina est Deus, est vniuersalis absolute loquendo ratione subiecti, non singularis ratione prædicati. Rursus hæc, Petrus est homo, est singularis absolute fando, munere subiecti singularis, non vniuersalis benefici prædicati vniuersalis.

8 Porro autem doctrina tradita est intelligenda de solis casibus rectis: obliqui namque, quamuis se teneant ex parte subiecti, haud propterea denominant propositionem quantam: Vnde hæc propositio Pauli 1. ad Timotheum 3. *omnis creatura Dei bona est, & nihil reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, est vniuersalis, merito recti, non singularis, causa obliqui, nimirum Dei: & è contrario hæc eiusdem Pauli 2. ad Corinthios 1. *Deus otiosus consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, est singularis recti ergò dicenda, non autem vniuersalis, propter vniuersalitatē obliqui. Idem de terminis connotatiuis dici potest, ac debet: quare propositio ista, hic homo musicus est Philosophus, proculdubio singularis est, quamuis nota singularitatis non afficiat immediatè terminum connotatiuum, neque hanc musicen potius, quam illam indiget; aliis exemplis superfedeo, quia res facilis.

9 **Q**uantitas indefinita in materia contingenti æquiualeat particulari, et in materia necessaria æquiualeat vniuersali, iuxta dialecticos omnes: quamobrem hæc propositio, homo currit, recidit in hanc, aliquis homo currit, & hæc, homo est animal: in istam, omnis homo est animal: quantumuis enim priores inuicem comparatæ sint formaliter diuersæ, necnon etiam posteriores, vt vel diuersitas quantitatis indicat; cæterum quantum ad veritatem verarumvis vnus, tantundem requiritur ad veritatem alterius, & è conuerso, ac proinde merito statuitur earum distinctio cum æquiualeantia, & virtuali identitate coniuncta. Quod si materia sit impossibilis, & in ea quantitas indefinita, veluti homo est lapis, cuiusmodi æquiualeat, vniuersali nimirum, aut particulari, quantum arbitrator est ex circumstantiis coniciendum. Quantitas propositionis est ab ea realiter indistincta, eique physice essentialis; habet enim originem à syncategoremate, *omnis* v. g. *aliquis*, aut *hic*, vel certè à subiecto secundum se, & ab

omni eiusmodi particula absolute sumpto; at syncategorema cuiuscunq; modi est pars subiecti, adeoq; totius propositionis, siue internæ, siue externæ: idèque à fortiori dicendū est de termino, qui subiicitur seorsum ab illo, & per se solum: proinde quantitas propositionis erit etiam pars illius constitutiua, eique essentialis reipia. Sed enim, quia concipitur, & explicatur à nobis per analogiam, & proportionem cum quantitate in actu secundo, & extensione locali à corpore, quod extendit multum, parumvè, proculdubio distincta, ac separabili; ea certe causa est, cur censeatur ratione nostra distingui ab essentia propositionis, eaque posterior.

10 **Q**uod attinet ad qualitatem propositionis, Conimbricenses in cap. 4. de oratione q. 3. art. 2. §. *14. meti propositio*, Auerla tract. 3. instituit. cap. 3. & alij, docent veritatem & falsitatem esse qualitatem accidentalem propositionis, affirmationem verò, & negationem, qualitatem essentialem. Cæterum hic loquendi modus mihi displicet, quippè qui terminos repugnantes coniungit, & perinde est, ac si dicas, *spiritus corporeus*: haud enim minus pugnant qualitas, & essentia, quam spiritus, & corpus. Instabis: differentia in quale quid prædicatur omnium consensu: ergo non est absurdum, aliquid esse qualitatem quidditatiuam, siue essentialem; quidditas namque, & essentia, ac proinde earum concreta, siue adiectiua in idem recidunt. Respondeo: prædicari in quale quid est essentiam per modum accidentis prædicari, quod non magis est absurdum, quam spiritum instar corporis, & per eius species, & imagines concipi: at esse quale quid siue qualitatem quidditatiuam esse simul qualitatem, & essentiam, quod est eiusdem repugnantia, cuius est spiritum, & corpus per identitatem coherere, & vnum esse.

11 **N**eoterici quidam nulla distinctione facta censent, affirmationem, & negationem esse qualitatem propositionis, hoc potissimum argumento permoti: propositio in communi præcincit ab affirmatiua, & negatiua, & ad vtrambet est indifferens: prior igitur est propositio ratione nostra, quam affirmatio, & negatio, & hæc ratione posterior; igitur hæc in conceptu secundario, & qualitate ad eod consistit. Contra tamen primò; quoniam animal est indifferens ad rationale, & irrationale, atque vtrolibet in subsistendi consequentia prius; valet enim, est rationale, ergo animal, est irrationale, ergo animal; neutrum tamen valet retrorsum, aut è conuerso: nihilominus, nec rationale, nec irrationale est qualitas animalis, sed differentia essentialis: quemadmodum enim anima est forma substantialis materiae, quam afficit, & non solius compositi, quod substantialiter constituit, vt fatentur omnes, ita forma logica, qualis est differentia, est differentia essentialis animalis v. g. quæ materia logica, seu metaphysica est, non solius hominis, quem essentialiter constituit. Rursus secundò, quoniam affirmatio, aut negatio cuiusvis propositionis in particulari differentia essentialis erit: prima namque diuisio propositionis est in affirmatiuam, & negatiuam: quæ autem subsequuntur eius species, earum, per quas primò diuiditur, alterutram includit: aut hoc sufficit, vt affirmatio, & negatio dicatur absolute propositionis differentia essentialis, sicut rationale, & irrationale dici consuevit quidditatiua differentia animalis, quoniam hoc, etsi abstrahatur ab vtroque, & neutrum intimè includat, hoc inquam, in communi, cæterum in particulari sumptum, & pro vt homo, vel equus, aut aliud quoduis, semper alterutrum

utram inuoluit. Denique tertio, quia sequitur nullas esse differentias essentielles propositionis, utpote quæ ex æquo abstracta est, atque præcisa, non tantum ab affirmatione, & negatione, sed etiam à veritate, & falsitate. & quibuluis aliis. Concedunt aduersariorum aliqui sequelam: sed immeritò; nam omnis qualitas, ac differentia accidentalis conuenit aliquam differentiam essentialem, cui sit determinatè, seu vagè debita, quemadmodum omne accidens physicum aliqua forma, siue actu physico est posterius. Alij negant eam sequelam, & aiunt, veritatem, & falsitatem esse differentias essentielles propositionis; quos tamen admodum falli, iam iam constabit, inter declarandum nostram sententiam.

12 Quæ quidem duas continet partes: altera est veritatem, & falsitatem esse qualitatem propositionis; altera affirmationem, & negationem talem haud esse, sed utramque potius differentiam essentialem. Prior earum est, non nostra modò, sed plerorumque Doctorem; præsertim verò teneatur illam Hurtadus in log. disp. 8. sect. 3. Arriaga disp. 2. sum. sect. 2. Balthasar I ellez disp. 12. log. sect. 2. num. 3. Rubius in log. lib. 1. perihermenias cap. 4. q. 3. & apud eum Alexander, Ammonius, & Niphus. Ea etiam est Platonis cuius hæc sunt in Sophista verba: *diximus qualem quandam esse orationem quamlibet oportere: unam veram, alteram falsam: vera oratio ea qua sunt, ut sunt, de se predicat; falsa autem alia, quam, qua sunt.* Suadetur autem hunc in modum: veritas, & falsitas est proprietas, ac differentia accidentalis propositionis, at aliter ei nequit accidere, quam velut qualitas; eius ergo est qualitas: Minor est omnium authorum, quos viderim, estque sponte sua evidens: haud enim veritas, ac falsitas accidunt propositioni, velut eius quantitas, huius namque munus est porrigere illam ad plura, vel pauciora obiecta, earum verò, postquam est vi repræsentationis suæ pro priori naturæ commensa pluribus, vel paucioribus obiectis, illam eis conformem, vel difformem reddere.

13 Nec etiam veritas, & falsitas accidunt propositioni, velut relatio mera; tum, quia in Deo est prima, & perfectissima veritas, quatenus ipse se cognoscit, ac de essentia sua iudicat aliquid, eius autem cognitio ad illum non refertur prædicamentaliter, defectu nimirum distinctionis realis à seipso, quæ tamen extrema huius prædicamenti nunquam non separat, nunquam non facit verò quodam interstitio differre: tum, quia iuxta non paucos relatio prædicamentalis postulat existentiam, non solum fundamenti, sed etiam termini, veritas autem, etsi existentiam actus exposcat, haud tamen obiecti; nam res nullatenus existens vere potest, ac solet cognosci: tum quia, si veritas, & falsitas pertinent ad aliquod genus relationis prædicamentalis, maximè similitudinis, aut dissimilitudinis, æqualitatis, aut inæqualitatis: sed reduci nequeunt ad has; quamuis enim sint conformitas, & difformitas actus cum obiecto, quæ fuit multis hallucinandi occasio, non propterea sunt, nisi analogicè tantum, & improprie similitudo, ac dissimilitudo, aut æqualitas, & inæqualitas: quocirca cognitio Dei in perfectissimis creaturis est perfectissimè conformis, quibus tamen, nisi imperfectè, & parum similis non est, absolute & proprie loquendo; contra verò cognitio creata falsa circa aliam, ei est omnino difformis, cum tamen ei sit maximè dissimilis: par autem ratio æqualitatis, & inæqualitatis, eis si comparentur relationes conformitatis, & difformitatis, per quas solet explicari veritas, & falsitas: tum, quia, esto veritas,

P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

& falsitas ad relationem prædicamentalem spectent, quod suo loco probabilius esse ostendam, tamen aliò ex titulo, & longè diuerso ab eo, qui aliis communiter placet, estque iam obiter impugnatus: Cæterum alterutra earum erit relatio, prout præcise refert actum ad obiectum, eique illum facit, aut consentaneum aut dissentaneum esse, non vero prout est bonitas quædam, aut malitia actus, saltem moraliter loquendo; ita enim erit potius qualitas propositionis, quando qualitas, est Aristotele teste, merito cuius res bene, vel male se habet, utique postquam est primario, & quidditatiuè constituta, alioquin rationalitas, & irrationalitas, erunt, qualitas, & neutra, differentia essentialis, altera namque facit animal melius, & altera deterius altera hominem, altera belluam. Denique non possunt veritas, & falsitas accidere propositioni, velut eius actio, passio, duratio, vbitas, situs, aut habitus, quod est aded certum, & exploratum, ut nulla prorsus egeat probatione: ex nouem ergo generibus accidentium, sola restat qualitas, ad quam reduci possint; vbi semel accidant propositioni, ut assumptum est in minori.

14 Quod autem ei accidant, & alterutra sit eius proprietates quædam, non differentia essentialis, quæ erat maior argumenti nostri, suadetur hoc pacto. Veritas est extrinseca propositioni, ac sita tum in ipsa repræsentante obiectum, tum in hoc se, quemadmodum repræsentatur, habente, ut lib. 10. ostendam: quod autem est extrinsecum rei, hoc ei nequit essenziale esse, haud ergo potest veritas, esse differentia essentialis propositionis, haud non accidentalis, adeoque qualitas. Par ratio est falsitatis, quippe, quæ etiam est extrinseca actui. Rursus, loco nuper citato constabit, quæ propositio est vera, eandem mutato obiecto potuisse esse falsam, & non veram, & quæ falsa, è contrario veram, & nunquam falsam: accidens autem est, iuxta Porphyrium, & cæteros, quod subiecto suo potest adesse, & abesse: necessum ergo est, ut tam veritas, quam falsitas propositioni accidant, & eius sint extra essentialiam.

15 Dicit fortasse non nemo, veritatem, & falsitatem haud esse extrinsecas, haud contingentes omni propositioni, sed tantum aliquibus; hinc autem perperam inferri, eas esse proprietates, & accidentia propositionis absolute sumptæ, & nulla adhibita restrictione. Largior veritatem, quibusdam actibus intrinsecam omnino, & inseparabilem esse, nec ab obiecto emendicatum, & suspensam, vide licet cognitioni diuinæ, & fortassis etiam nostræ, vbi sit, vel evidens vel fidei supernaturalis, paremque esse falsitatis conditionem, respectu quorundam actuum: at nego illationem à nobis factam malam esse, quin potius, eam arbitror certam, ac manifestam: etenim, quod est extrinsecum, & accidentarium alicui rationi particulari, id nequit esse essenziale rationi communi, aliàs risibilitas v.g. quantumus proprietates hominis, poterit nihilominus esse differentia essentialis, animalis, euique non minus primario, contractiua, quam rationalitas. Optimè ergo intulimus, ex eo, quod veritas, & falsitas contingenter, & extrinsece conueniant aliquibus propositionibus in particulari, neutiquam eas esse posse differentias essentielles, & primarias euentionis in communi, & vniuersaliter, ac latissime fusæ. Rursus, non est nobis sermo de sola qualitate physica, & realiter distincta à subiecto, cui conuenit, sed etiam de qualitate logica, quæ nimirum ab essentia logica, seu conceptu primario


distinguitur, & in conceptu secundario sita est, siue is conceptus secundarius physice, ac realiter essentialis sit, siue non: at veritas, & falsitas est conceptus secundarius propositionis omnis, & cuiusvis; esto enim aliqua sit intrinsicè, ac necessario vera, vel falsa, tamen prius ratione concipitur eam destinatè proponere aliquid, & affirmando, seu negando illud repræsentare, quam veram, aut falsam esse: ideo namque est vera, & conformis obiecto, aut ei difformis, & falsa, quia est eius propositio, seu repræsentatio quædam, aliquid de eo affirmans, aut negans, & non è conuersio: sicut idè Petrus v. g. est conformis, & similis Paulo, quia Petrus est homo quidam, non minus, quam Paulus, & ideo dissimilis equo, quia itidem homo, cum tamen eiusmodi non sit equus, at è contrario haud ideo à priori est homo, quia similis Paulo, aut dissimilis equo.

16 Altera nostræ sententiæ pars erat, affirmationem, & negationem neutquam esse qualitates, aut proprietates accidentarias propositionis: eam autem partim insinuant, partim exprimunt omnes authores, quos supra laudauimus pro priori, ac iam probata nostræ opinionis parte. Ex dictis autem potest haud ægre suaderi: nam affirmatio, ac negatio, si non sunt differentia essentialis propositionis, sed potius alterutra earum qualitas, aut idè est, quod propositione in communi sint posteriores in subsistendi consequentia, eamque sinant à se abstrahi: atque hoc iam manet satis impugnatum superius; aut, quia alicui propositioni, vel omni extrinsecus, ac separabiliter conueniunt: atque hoc falsum est, vt quod maximè: siquidem repræsentatio est essentialis, ac necessaria omnibus saltem propositionibus, quas nouimus, & experimur: vnde nil mirum, si eis intrinsicè, & inseparabiliter conuenit affirmare ac negare; vterque enim tendendi modus est repræsentatio quædam: quod, si repræsentatio est quædamtenus extrinseca, & contingens nonnullis actibus, in alia saltem serie rerum (de qua sententia suo loco) ita quidem actus eius genij, quem nunc disputandi gratia permitto, provt est physicum accidens intellectui inhærens, haud essentialiter ac necessariò repræsentabit, haud alterutro modo affirmabit, aut negabit: cæterum quatenus est propositio, & species quædam accidentis intentionalis, necessario, & essentialiter habebit repræsentare, & aliquid, vel asserere, vel inficias ire: qui ergò fieri potest, vt affirmatio, & negatio propositioni accidant, eamve proprie qualem denominent?

17 En alteram, & alteram nostræ sententiæ partem singulatim probatas: possunt autem ambæ vna, eademque opera confirmari hunc in modum: propositio vera, eo ipso moraliter saltem loquendo melior est, quam falsa, & falsa eo ipso deterior est, quam vera; proinde hæc sola reperiri potest in Deo, non illa: cæterum affirmatio negatione, aut è conuersio neutquam est melior ex genere suo, neutquam deterior: quare alterutra ex æquo locum habet in Deo: quando ergò qualitas Aristotele teste est, vi cuius res bonè, vel malè se habet, modo superius proposito, & explicato; certè specialis quædam est ratio, quapropter affirmatio, & negatio nequeant esse qualitates propositionis, tales autem esse queant, ac debeant veritas, & falsitas. Rursus, interroganti, quæ sit propositio, responderi proprie debet, ac solet, affirmatiuam esse, aut negatiuam: qualis autem interroganti, potius esse veram, aut falsam, vt rectè animaduertit Hurtadus disp. 4. summ. sect. 2. §. 6. affirmatio ergo, & nega-

tio sunt differentia essentialis, & quidditatiuæ propositionis; veritas autem, & falsitas, eius solæ qualitates.

18 Quæ, quamuis ita sint, si sumatur propositio simpliciter, & absolutè, provt hactenus nostræ fuit subiecta disputationi, cæterum si viurpetur paulo latius, ac provt est interpret quædam, vel menti ipsi interius, vel certè alteri exterius rem aliquam enuncians, atque quatenus habet analogiam, & proportionem quandam cum eo, qui alterius sensa, pandit, & interpretatur, ita quidem dici potest, è conuersio, veritatem, ac falsitatem eius esse differentias essentialis, & affirmationem, ac negationem meras qualitates accidentarias: interpretis enim potissimum munus est, illius, quem interpretatur, verum sensum reddere: an autem aliquis affirmet quidpiam, vel neget, hoc, vt sit bonus interpret, est omnino per accidens. Ita Conimbrienses, ac Tellez locis superius citatis.



TRACTATUS IV.

De oppositione, æquipollentia, & conuersione veritatis compositæ, siue propositionis.

CAPVT I.

Quatenus alij oppositionem, tum in communi, tum in particulari definiant.

1 Oppositio in communi definitur à quibusdam neotericis, quorum meminit Colleg. Conimb. in cap. 7. de oppos. q. 1. art. 1. repugnantia duarum enunciationum vtroque termino participantium, aut in quantitate tantum, aut tantum in qualitate, aut in vtraque simul. Cæterum displicet hæc definitio, quia oppositionem explicat per eius species inferiores, eamque adeo non definit propriè, sed diuidit, eo certe vitio, quo laborat hæc animalis definitio; animal est viuens, rationale, vel irrationale, humanum, aut belluinum: ecquid enim est repugnantia duarum propositionum in sola quantitate, quam earum oppositio subalterna, qualis est inter has v. g. omnis homo currit, aliquis homo currit, quæ tantum in eo differunt, quod vna sit vniuersalis, altera particularis, cum tamen ambæ possint esse simul veræ, nec non simul falsæ, adeoque in qualitate omnino consentiant. Ecquid etiam est repugnantia duarum enunciationum, iuxta hos authores, in qualitate sola, quam earum oppositio, vel contraria, cuiusmodi est hæc omnis homo currit, vel subcontraria, cuiusmodi est hæc; aliquis homo currit, aliquis homo non currit: alterutra namque propositiones cum sint eiusdem quantitatis, & aliæ vniuersales ambæ, aliæ ex æquo particulares, in eo tamen differunt priores, quod nequeant esse simul veræ, nec simul falsæ, & posteriores in eo, quod simul falsæ saltem esse neutquam sustineant: proinde, tam hæc, quam illæ in qualitate plus, minus dissident. Ecquid denique est, iuxta eosdem, repugnantia duarum propositionum in quantitate, & qualitate simul, quam earum oppositio contradictoria, qualis est hæc, omnis homo currit, aliquis homo